

quod ex eius sententia ex materia ab aeterno praexistente factum erat. Hic vterque postremus significatus obtinere potest, respectu illius, a quo omnes homines descendunt, posterior, qui mediate saltim ex nihilo erat productus, quoniam ab aliis hominibus originem suam non acceperat, licet ex terra tanquam materia quadam sit creatus: respectu vero hominum ab eo ortorum prior significatus locum habere potest.

§. X.

Reliquum adhuc est epitheton assertionis, quod igitur nunc aggrediendum erit, quod sequentia verba includunt: *εξ ἐνος αἱματος*. *Αἷμα* in generaliori significatu *sanguinem*, *cruorem* indicat, *liquorem illum hominis vitalem*. Hoc loco a plerisque putatur idem significare ac *σπερμα*, quo sensu etiam *Job. I, 13.* occurrere debet; hinc quoque ea locutio deriuatur, qua pro genere etiam adhibetur, vel dum filius ex sanguine esse dicitur patris, ut ex alterius sanguine procreari idem sit ac ex eius semine generari, vel ex uno sanguine cum alio esse, ex eodem semine atque ab eodem parente genitum esse. Sic apud *Homericum Iliad. τ. v. 105.* *των αὐδέων γενενς, οὗτος αἱματος εξ εμεν εισι Εορυκον hominum ex genere, qui sanguine ex meo sunt*, vbi parua Scholia, quae *Didymo* tribuuntur, id ita explicant: *αἱματος αντι τη σπερματος, γενους*. Quo & referri potest *Odyss. π. v. 300.* *Εἰ εἴτεο γέρμος εστι μηδ αἱματος πριντεροιο; si vere meus es, Εγγειον sanguinis nostri.* *Pindarus* itidem *Nemea ia. v. 43.*

— Το τε Πεισανδρου παλας
Αἵμα απο Σπαρτας.

Sanguis eius Εγγειον genus antiquum erat a Pisandro spartano. Nec minus